



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

RES LATINAE FLORENT IN FINNIA

Ei, cui primum seminarium Finnicum superiore anno habitum participare licuit, patet quantum intra unum annum aucta sit Latinitatis fama in Finnia. Duplex hoc anno fuit numerus participum Latinitatis vivae seminarii. Plures fuerunt extranei oratores invitati. Ipse Cancellarius Numminen, qui omnes res culturales in Finnia regit, dignatus est seminarium participare. A tempore primi seminarii instituta sunt emissiones radiophonicae Latinae, quae nunc non solum in principali programmata audiuntur sed etiam in televisorio legi possunt.

Lunae die 2 mensis Iulii, ante initium seminarii, Teivas Oksala, ut solet, lustrationem campi universitarii duxit Latineque commentatus est. Lustratio finivit in proximo museo illius praecipue architecti Alvari Aalto, qui studiorum universitatis Granivicensis (v. Jyväskylä) aedificia delineavit dispositaque.

Meridiano tempore extranei invitati lautum prandium sumpserunt una cum Cancellario Numminen, quocum professore Pekkanen interprete eis licuit sermocinari.

Hora prima postmeridiana in universitatis auditorio Thomas Pekkanen declaravit seminarium incohatum esse atque Cancellarium invitavit ad verba inauguralia facienda. Quod ille fecit Latine memorativa Latinitatem sibi iam diu esse cordi:

«Paavo Numminen, patruus meus, philologiae classicae primus professor in universitate Turkuensi, semel tantum exeunte tertio huius saeculi decennio iter in Italiam fecerat. [...] Liberi eius solebant his verbis Latinis patrem ad mensam vocare: «Veni, pater, cena-tum». Quo factum est ut pueri lyceales rumorem spar gere inciperent professorem Numminen Latinum habere sermonem domesticum.

«Cum adhuc iuvenis essem, multi in scholis Finni-cis, praesertim in lycaeis, Latine discebant. His proximi-mis decenniis linguae Latinae discipuli pauciores et pars eius modestior in ordine studiorum facta est. At his ipsis annis studia Latina paululum reviguerunt.

Paucis ante septimanis interfui promotionibus sollem-nibus universitatis Helsinkiensis, ubi intento animo audiebam quomodo multi homines Latino sermone uterentur.



Cancellarius Numminen

«Paulatim etiam fama divulgata est de nuntiis Latinis radiophoniae Finnicae generalis quidie Veneris in Finnia emittuntur, Sabbato, Dominico et Lunae die in terras peregrinas per totum orbem tacentes. Accepimus nuntios nostros Latinos longe et late audiri et auscultari; statio Finnorum radiophonica unica est quae regulares Latinos nuntios emitit.

«Ministerium publicae instructionis Finniae his quindecim annis scientiam multarum linguarum in patria nostra haud parvi aestimavit. Comitatus de linguis discendis consultando iam octavo decennio exeunte sollicitus admonuit ut praeter Anglicam linguam etiam aliae linguae Europaeae maiores, sicut Germanica, Francogallica, Hispanica, in Finnia addis-

cerentur. Deinde nono decennio ineunte comitatus linguis et culturis extra-europaeis sovendis commonefescit quanti momenti esset his linguis et culturis studere, easdem docere et notitiam earum omnibus modis augere. Nunc, me praeside et auctore, tertius comitatus constitutus est cuius est minores linguas et culturas considerare, sicut Esthonicam, Lettonicam, Lithuanicam, Polonicam, deinde velut circumire per populos Balcanicos et circa Mediterraneum mare habitantes litus Oceani Atlantici usque ad Norvegiam. Id agimus ut habeamus in patria nostra uniuscuiusque linguae et culturae peritos translatores, interpretes et mediatores aliquot.

•Notatu dignum est quod in colloquis huius comitatus multis modis apparuit nostrum esse etiam de condicionibus linguae Latinae considerare et intellegere quanti sit momenti cultura Europae et quantum valeat traditio Latina in unificatione cultus humani Europaei, quale vinculum sit Latinitas Europae redintegranda.

•Dico vobis me gaudere quod linguae Latinae magistri, praeceptores et amici in Finnia hoc modo congregantur. Pro ministerio publicae instructionis huic conventui eiusque participibus omnia fausta felicia exopto. Vivat et florat lingua Latina!

In universitate Granivensi est Taberna quaedam Latina: sic enim vocatur associatio studentium classorum. Cuius praeses Pia Ahtonen, cum extraneos hospites salutaret, Latinitatis momentum affirmare voluit:

•Hospites carissimi, nos studentes linguae Latinae Granivenses vos salutamus. Maximum est nobis gaudium vobiscum hos dies consumere et linguam culturamque Latinam colere, praecipue quod hoc facere possumus optimis cum latinistis qui ex diversis terris Europae advenerunt. Professores nostros excellentes certe iam novistis; sub umbra eorum hic etiam coetus studentium invenitur, coetus parvulus, sed non minimi momenti.

•Quid autem est linguae Latinae studere in his septentrionalibus plagiis? Non multi sumus in terra nostra qui Latinitatis studio ardemus. Insuper a plurimis habemur viri paululum obscuri et feminae obscurae. Hac re tamen minime turbamur. Immo acrius perseveramus thesaurum nostrum rarissimum colere.

•Ut brevissime dicam, hereditatem culturalem Europaeam colere volumus et nos ipsos educare ut melius intellegamus ceteros populos Europae. Inter technologiam technocratiamque et computatra volumus esse humanistae, et in humanitate nostra curare ut vivat valeatque Latina lingua materna culturae Europaeae. Non delectamur lingua aliqua mortua sed instrumento vivo et hodierno cuius historia longissima et splendidissima est.

•Sumus hic cives variarum terrarum, sed una re coniuncti: sumus omnes cives Europae redintegranda, heredes imperii Romani, primae Europae potestatis, et heredes linguae eius Latinae.

•Quae autem erit lingua principalis Europae unicatae? Nos quidem linguam Finnicam optimam putamus. Sed quia alii Europaei sententiam nostram fortasse non approbabunt, proponimus linguam secundam in ordine, Latinam. Non est Roma uno die aedificata, nec momento temporis unificabitur Europa. Sed hic inter nos possumus initium capere et, biduum saltem, solum Latine loqui. Iterum vobis dico: salvete

omnes ex terris externis venientes sicut etiam Finni. Ceterum censemus Latinę esse loquendum.

His dictis incohatae sunt acrostices: P. Caellestis Eichenseer Germanus locutus est «de Latinitate post medium saeculum XIX inter Europaeos culta», Sigrides Albert Germana «de sociologia

Latina», Petrus Hrandek Austriacus «de mathesis elementariae terminologia Latina». Gregorius Pitkäranta Finnus «addenda lexicis Latinis» proposuit, Thomas Pekkanen Finnus «de examine Latino maturitatis anni currentis» rettulit. Vespere concentus musicus Latinus, postea convivium etiam Latinum habitum est. Postero die, 3 mensis Iulii, Gaius Licoppe Belga «de ortu et abortu motus Francogallici c.n. Vita Latina» tractavit, Birgerus Bergh Suetus «de studiis Suetiae hodiernis», Paavo Castrén Finnus «de idea Europea in litteris antiquis et in vita politica posterioris temporis», Ericus Palmén Finnus «de bello hiberno, via dolorosa libertatis Finnorum». Fuit ergo, ut patet, seminarium et varium et locuples. Secuta est circumnavigatio decem horarum in lacu Päijänne, quem Finni libenter aequant lacui Benaco. Usque ad mediam noctem ursi et alces obstupefacti in lacus ripis audiverunt carmina Latina...

Medio saeculo nostro Iohannes Capelle, Motus Latinitatis Vivae conditor, cogitabat de pace universalis. Post 40 annos, longe abest ut homines inter se certare desierint. Populi tamen in maiores congregantur globos, quorum unus est Europa. Ei necessarium est commune instrumentum communicationis. Volentes nolentes utimur lingua Anglo-americana, eodem modo ac olim Romani Graeca καινη. Hoc tamen non impedivit quin idem Romani in imperio regendo sola lingua Latina uterentur, etiam in extremis suis orientalibus finibus. Eadem ratione nos, futuri Europaei cives, debemus nostram traditam communemque linguam Latinam colere atque adhibere. Europa, quae paulatim coalescit, eget identitatis insigni: unum tantum habet, cui vero nullum par est, id est noster humanitatis cultus Graecus et Latinus.


Meditemur oportet hanc Europae definitionem, quam senator Tosatti inter primum «viventis linguae Latinae causa conventum universum» anno 1956 proposuit: «**Europa est ubicunque homines Latine locuti sunt, vel saltem studium linguae Latinae et humanitatis studium pervenit.**



Pia Ahtonen



DE TEMPLO DIVAE SOPHIAE



Cum sit tempus feriarum, quas plures in annos homines degere solent in itineribus longinquis, nobis non iniucundum fore visum est aliquid narrare de uno ex famosissimis antiquitatis monumentis, quae aequalibus nostris adhuc licet admirari, id est Μεγάλη Ἐκκλησία Ἀγίας Σοφίας, quam imperator Iustinianus sexto saeculo Constantinopoli exstruendam curavit.

Cum etiam Latinitatis simus cultores, fortasse attractivum erit invenire quid viator sexti decimi saeculi, qui complures annos Constantinopoli vixit, de hoc aedificio senserit et verbis Latinis accuratissime descripsicerit.

Nobis enim est liber, quem Petrus Gyllius, natione Francogallus, Latine conscripsit c.t. «De Constantino-poleos topographia». Qui liber primum editus est anno 1561 et postea anno 1632 Lugduni Batavorum ex officina Elzeveriana. Notandum est multos huius generis libros hac aetate divulgatos esse, quos magna cum delectatione legebant ubique Europae homines non necessario doctissimi sed tantum, ut tunc solebant, Latine eruditii.

In capitulo tertio, c.t. «De templo Sophiae», legimus haec:

Recentes scriptores Graecorum templum divae Sophiae primo conditum ab imperatore Constantio filio Constantini Magni tradunt, non quidem latericio opere, sed ligneo concameratum: tempore Magni Theodosii, cum secunda synodus haberetur, ab Arrianis exustum ad seditionem excitatis, quod Magnus Theodosius postea texti cameris cylindricis. Deinde tildem scriptores addunt iterum conflagrasse tempore Iustiniiani. At Sozomenus, certus et antiquus scriptor, tradit tempore Theodosii minoris, cum orta esset seditio in Magno Templo, de expellendo Chrysostomo, repente templum undique conflagrasse, igne intecto ab iis, qui Chrysostomi fautores in templo inclusos comburere una cum templo cupiebant. Procopius tradit etiam conflagrasse cum Iustinianus imperaret; qui in eam formam, quam nunc videmus, ipsum reaedificavit. [...]

Iustinianum suspicari possumus domos proximas emisse ad augendum templum; quod autem in diversis regionibus ponantur Magnum Templum, et Forum

Augusteum, id non impedire quin vicina esse potuerint. Cum igitur Iustinianus aedem Sophiae pristina magnitudine praestantiorum effecisset, et formae decore, et metallorum varietate ornasset, parietesque et cameras cocto latere, et calce construxisset, atque plerisque in locis ferro colligasset, nullaque tigna interposuisset, ne in posterum incendiis pateret. Tamen ut in hunc diem evaserit in columnis ab igne, saepe experta est varietatem casuum, idque statim a principio: cum arcus ad Orientem spectans nondum esset perfectus, sua magnitudine onerabat pilas, quae non sustinente arcus magnitudinem, subitas ruinas egerunt, et quam mox casuae videbantur, nisi architecti accelerassent absolvere arcum; qui tri suam curvaturam perfectam incumbens, mtrus gravis pilis fuit, seipsum sustinentibus. Arcus vero duo, quorum alter ad meridiem, alter ad boream spectat, pilas suas, et structuram inferiorem sic premebant, ut columnae structuram contingentem imam arcuum curvaturam, lapillos quosdam extiguos veluti ramenta quaedam lacularentur, et ruinas editurae viderentur, nisi architectorum ingenio summae partes mole laborantes, quae attingebant arcus pro tempore demoliri studiissent, et paulo post restituissent, cum structurae humor exsiccatus esset. Denique templum hoc Iustinianus cum ingenti sumptu et labore perfecisset, aliquotque annos in columnae permanisset, terrae motu concussum est etiam tunc vivente Iustiniano. Quo quidem terrae motu scribit Agathius labefactam partem tecti medianam eminentem supra omne fastigium; rursus regem instaurasse, firmoremque effecisse, et in maiorem altitudinem erexisse; quamquam Anthemius, qui aedem Sophiae architectatus erat iampridem, mortuus esset.

Gylius ipse templum Sophiae lustravit, quamvis prudenter ut patet ex eius verbis cum agitur de templi dimensionibus:

Longitudinem vero ab oriente ad occasum eam ipse metri ausus non sum, sed metiendam curavi per hominem Turcum; qui mihi rettulit, longitudinem templi esse ducentorum et tredecim pedum; longitudinem vero ducentorum et quadraginta pedum; altitudinem a summa curvatura arcuum usque ad pavimentum centrum quadraginta duorum pedum. Hemisphaerium non mensus est.

Exhibemus postea capitulum quartum c.t.: «Descriptio templi Sophiae quale hodie visitur». Spissioribus characteribus notavimus principalia elementa architecturae quae indicantur in schematibus (cfr foliam subiunctam).

Descriptio templi Sophiae quale hodie visitur. - Eius parletes et camerae coctis lateribus constructi sunt. Parletum interior pars crustis marmoreis vestita excellentibus et variis fulgurat, et permiscet cum summas naturae vires, tum mentes spectantium. Camerae

calculis et tessellis vitreis inauratis fulgent etiam ad oculos Barbarorum, summa arte elaboratis.

•Concameratio **octo pilis** sustinetur. Quarum **quattuor maiores et excelsiores**, in ordinem quadrum dispositae, sustinent **ingentes quattuor arcus**, fulcientes **hemisphaerium**: quorum quidem duo, septentrionalis et meridianus, curvaturam suam imam substructam habent **tenui pariete** fenestellis vitreis pleno sustentato columnarum duplicit ordine, inferiore et superiore. Inferior habet octo columnas ad solum nitentes; superior sex, sustinentes parietem subtilem et subiectam imae arcus curvaturae. Reliqui duo arcus, orientalis et occidentalis, intra curvaturam suam nihil substructum habent, sed apertum et vacuum a parietibus et columnis, ut horum vacuitate templum efficiatur capacius.

•Nam ad eorum imam curvaturam committuntur extremae partes ultra pilas projectae in **sphaerae quartam partem** recedentes, quae nituntur quattuor arcubus, qui sustentantur duabus **pilis minoribus** et duabus **majoribus**. Quattuor enim pilae maiores non solum sustinent quattuor arcus maiores, sed etiam earum singulae duos arcus minores, unum pergentem in longitudinem, alterum in latitudinem, quibus templum longe porrigitur et late dilatatur: sic enim ab oriente et occidente quarta pars sphaerae applicatur hemisphaerio, ut intus una, et eadem concameratio esse videatur, foris vero separata, appareat ornatus efficiens hemisphaerium alte eminens supra duas quartas sphaerae partes.


•Latitudo vero dilatatur ultra pilas arcubus et columnis et parietibus ex utroque latere, septentrionali scilicet et meridionali, sex velut aulas captiens, tres inferiores et totidem superiores, vario marmore vestitas, concameratas calculis inauratis et figuratis ornatas: ita enim ex singulis pilis duplices arcus nascuntur in templi latitudinem porrecti, ut eorum alterum cornu conquiescat in muro extrinsecus obniente majoribus pilis: a quibus quattuor arcus in utrumque parietis latus emittuntur, duo quidem inferiorum trium aularum concamerationem sustinentes, reliqui duo superiorum totidem aularum testudines, quarum latera singularum partim admittuntur ad arcus, partim ad parietes, partim ad columnas.

•Unde fit, ut pars aedis interior, et media illa tricens vacua, si sola consideretur, comprehensa intra pilas et columnas, sit forma ovata; si vero tota tam intra, quam extra pilas perspiciat, sit quadrata. Ita enim ex utroque latere velut alae appensa sunt tres aulae inferiores, et totidem superiores, ut ab imo pavimento procedat quadrata usque ad curvaturam superiorum aularum, deinde intra octo pilas in ovatam formam contrahatur usque ad curvaturam quattuor arcuum sustinentium hemisphaerium.

•Forma aularum, seu cellarum, quas dixi cingere utrumque latus, talis est. Ex tribus lateribus aulae quadratae sunt: ex quarto latere, quod intuetur interior aedis partem, figuram templi sequitur, quam obtundat efficit pilorum et columnarum dispositio. Sustinetur arcubus et columnis concameratio aularum, quarum describam dumtaxat tres: quibus cognitis certae omnes simili forma esse cognoscentur.

•Incipiunt a tribus superioribus, sitis in latere templi septentrionali; quarum prima est in angulo intuenti

QUIS FUERIT PETRUS GYLLIUS



Petrus Gyllius (v. Pierre Gilles) fuit naturalista Francogallus anno 1490 in urbe Albia (Albi) natus. Patronus ei fuit Georgius d'Armagnac, episcopus urbis Segoduni (Rodez), qui studiis eius liberaliter favit. Anno 1533, cum librum in lucem ederet c.t. «De vi et natura animalium», prooemium regi Francisco I his fere verbis dedicavit: patrimonium culturale esse servandum, regi has res fovendas; doctos ergo homines mitteret ad explorandas terras ubi cultus civilis Romanus floruisse.

Hoc incitamento Franciscus I libenter annuit impuli, qui Petrum Gyllium ad Turciam lustrandam misit. Fuit longum iter. Gyllius, cum in Asiam Minorem tandem pervenisset, maestus animadvertisit se totam pecuniam iam erogavisse. E Francogallia nullum nuntium! Ne epistulam quidem! Quid ageret? Quid vos egissetis? Contentus fuit in exercitu sultani Solimani, Magnifici illius, conscribi posse.

Fuerunt bella contra regem Persarum. In terras longinqua dum Gyllius exercitum sequi-

tur, non obliviscebatur se esse naturalistam atque plurimas res in itinere colligebat. Sed viro docto quam vita in expeditione est incommoda! In Persia omnes thesauros suos perdidit.

In eo erat ut spem deponeret cum - miraculum inexspectatum - pecunia allata est: nam Franciscus I de miseris Gyllianis aliquid tandem audiverat. Vita iterum visa est naturalistae nostro arridere - est enim emolumentum pecuniae -; qui ab exercitu Turcico se liberare potuit atque se studiis totum dedere.

Anno 1550 Gyllius rediit in terram suam Francogallicam. Interea patronus eius Georgius d'Armagnac factus erat cardinalis atque vitam Romae degebat. Romam ergo petivit etiam Gyllius. Ibi post quinque annos mediis in studiis mortem obiit.

Multa opera reliquit, omnia Latine conscripta. Numeratur inter primos Francogallos qui naturam ipsam inspicere voluerint. Ipse res minutissime describere solebat et ichthyologiam praesertim callebat, ita ut eius aequalis Rabelaesius eum libenter irridet: nam in nescio quo opere Gyllium singit maxima cum delectatione inspicientem... urinam piscis cuiusdam in laguncula receptam!

Haec opera in lucem edita sunt:

- De vi et natura animalium; de Gallicis et Latinis nominibus piscium (Lugduni 1533).
- De topographia Constantino-poleos et de illius antiquitatibus (Lugduni 1561 et Lugduni Batavorum 1632).
- De Bosphoro Thracio (Lugduni 1661 et Lugduni Batavorum 1632).
- Elephanti descriptio (Lugduni 1562).
- Nonnullae Latinae versiones operum Graecorum scientificorum.
- Orationes duae ad Carolum Quintum missae, ut Franciscum primum, tunc temporis Matriti captivum, liberaret.
- Tres epistulae ad regem Angliae, quibus ei suaderet ut a regno Francogalloco discederet.
- Lexico Graeco et Latino, Basileae anno 1535 edito, cooperatus est.

septentrionem et orientem: eius duo latera exteriora surgunt a muro et desinunt in arcum: in laterum medio columnae tres sunt quadratae, loco parietis, nempe fenestrarum parastades, quarum scapus habet perimetrum quinque pedum et unius dodrantis. Supra easdem eminent aliae tres quadratae. Hae omnes sunt marmoris albi, in colorem glaucum vergentis.

• Latus pertinens ad interiorem aedis partem habet sex columnas virides, subiectas arcui sustinenti quartam partem sphaerae orientalis, quarum unus scapus ambitum habet septem pedum et octo digitorum. Eorum intercolumnia, diastylit dispositione distincta, lata septem pedes et undecim digitos, pluteis munitur marmoreis, altis quattuor pedes, quibus incumbentes vident interiorem aedis partem tam infernam, quam supernam.

• Latus interiectum inter primam aulam et secundam a parte exteriore vergenti ad septentrionem, usque ad pilam magnam, sustinentem arcum hemisphaerii, largum est quadraginta quattuor pedes, quorum partem possident pilae, partem arcus surgens a tergo pilae, sustinens hemisphaerium, quo toto patente lato tuxta pavimentum viginti pedes transitur a prima aula ad secundam aulam.

• Reliquam lateris inter primam et secundam aulam intermedii partem, latam viginti quattuor pedes, occupant pilae arcus et murus surgens velut ala usque ad concamerationem hemisphaerii.

• Secundae aulae concameratio extrema sustinetur arcubus et parietibus; media vero nittitur quattuor columnis albis, ad glaucum colorem accendentibus, quarum scapus in ambitu circumplexitur septem pedes. Secunda sive media aula quadrata est; cuius duo latera sustinentur partim muris, partim arcubus, quorum alterum cornu nascitur a tergo duarum magnarum pilarum sustinentium magnum hemisphaerium, alterum sustinetur pilis orientibus ex interiore parte murorum aliorum fulcentium pilas maiores.

• Huius secundae sive mediae aulae latus exterius loco parietis habet octo columnas quadratas, quarum perimeter est sex pedum. In earum medio est magna pila. Inter columnas eas parastadum vicem praestantes sunt fenestrae. Praeterea supra easdem columnas existunt pilae parastadum vicem praebentes superioribus fenestris, quae tam superiores quam inferiores numero sedecim aulam hanc medianam illustrant; cuius latus vergens in templum tertius sex viridibus columnis ornatur. Harum intercolumnia habent pluteos similes pluteis primae aulae.

• Camera media sustinetur columnis colorem medium inter album et glaucum prae se ferentibus, in quadratum ordinem dispositis; quarum duae stant non longe a latere exteriore; reliquae duae parum absunt ab interiore latere ornato sex columnis.

• Ex hac media aula exitus patet in tertiam, per arcum tam late patentem quam alterum, per quem aditus est a prima aula in secundam.

• Tertia aula similis est primae aulae, longitudine, fenestris, parastadibus, columnis; quibus quattuor sustinetur eius camera, et latus interius sex viridibus. Iam vero inter pilas duas, quibus sustinetur quarta pars sphaerae occidentalis, existant quattuor columnae virides, eaedemque binae inter se contunctae; inter has intercedunt sex columellae virides, Ionicae.

• Templi vero valvae occidentales loco vestibuli duas porticus habent: inferiorem, qua aditum templum piano pede; superiorem, qua gynaeconitides aulae adeuntur; ambas tam longas quam templum latum, largas viginti octo pedes.

• Porticus superior supra porticum inferiorem sita est inter pilas sustinentes quartam partem sphaerae occidentalem et fenestras. Nam a parte interiore octo pilis, ab exteriore totidem sustinetur, inter quas fenestrae tam inferiores quam superiores illuent, cinctae columnis quadratis. Inter hanc porticum et aulas seminarum, nihil interest, nisi pilae sustinentes porticus cameram interiorem; pavimentum enim porticus aequale est aularum pavimento.

• Porticus inferior est duplex: interior clauditur utrumque muri marmorum tucundissima varietate vestitis; tegitur cameris figuratis ornamento tessellato calcicorum inauratorum.

• Ex hutus porticus latere orientali novem portis patet aditus in templum, ex latere occidentali quinque portis aeneis duplicitibus patet exitus ex interiore portico in exteriorem porticum, ex qua proditur in aream ubi perennes saltunt aquae, ad quas ex area descendit multis gradibus.

• Per capita harum porticuum aditus patet unus a septentrione, alter a meridie sex valvis, olim aeneis omnibus, iam dumtaxat tribus aeneis, egregio opere elaboratis.

• Aedes Sophiana ex parte orientis habet duas portas, easque duplices; in lateribus sunt aliquot clausae, quae nunc non aperiuntur.

• Aedis interiora fulgent clarissima luce, ob multitudinem luminum. Summus murus, qui in orbem fertur inter quattuor summos arcus et hemisphaerium, quadraginta fenestris lucem intromittit; muruli arcubus subiecti illuminantur viginti sex fenestris; aulae intermediae triginta duabus in singulis extremis aulis orientibus lucent plus viginti. Praetereo duas occidentales et quattuor inferiores aulas, turn duas quartas partes sphaerae, turn sacram aedis partem solis sacerdotibus olim patentem; sileo superiorem porticum, etiam in medium templum clarum lumen emittement; quorum omnium lumina ob multitudinem numerare omisi.

• Maximus Sophiani templi aditus est ab occasu, piano pede; non enim ut Pantheon Romanum gradibus, ut olim ascenditur, aut ut nunc descenditur, nisi ab ortu, unde quinque gradibus descensus patet in aedem, sed in superam aedis partem ascensus existit quattuor cochleis, quas ante dixi oppositas ad fulcendas quattuor maiores pilas.

• Georgius Cedrinus cochleas appellat, sed non satis proprie, cum magis in anfractuum normalium quam cochlearum modum gradus surgant; quinque enim anfractibus ab imo ascenditur, non exasperatis in gradus, sed in mollem clivum substructis ex amplis mensis marmoreis. Horum quinque anfractuum singuli alti undeviginti pedes et sesquipedem, lati quinque pedes. His anfractibus succedunt alii anfractus, usque ad templi tectum, non clivis molliti, sed in gradus fracti, quibus adeuntur aulae et porticus superiores et summae templi partes.

• Si quis ea, quae ante dixi de templo Sophiae, conferat cum descriptione Procopii et Agathii, cognoscet, de illo, quod Iustinius condidit non tantam

deminutionem factam esse, quantam cives Constantiopolitani praedicant, iactantes longe matus exstisset multaque illius membra a barbaris diruta esse decimamque partem vix hodie extare; quorum opinionem ferendam putarem, si intellegant domos regum, sacerdotum, senatorum circum aedes constructas a barbaris et incendiis deletas esse. Sin membra aedis Sophianae a Iustiniano conditae, longe errant, omniaque eius fere constare video tradita a Procopio, praeter porticum alteram.

Nam cum, teste Procopio, utrumque porticus haberet, nunc dumtaxat ex una parte, eaque occidentali habet; orientalis non exstat, sed cecidisse aliquo terrae motu verisimile est, ipsiusque in locum excitatam fuisse molem illam, quae hodie exstat lapide quadrato constructa velut crepido clivosa, obiecta ad fulciendam partem aedis orientalem. Verum iam tam excelsam, ob terrae motus, non arbitror, quam primo fuit; sed tamen tanta altitudine nunc attollitur, quanta fere traditur ab Evagrio; atque adeo post terrae motus, ad fulciendas pilas laborantes, vel terrae motu, vel pondere hemisphaerii, aucta est quattuor muris longis plus viginti pedes, latis vero plus octo, in altitudinem maiorum pilarum assurgentibus, quos alares appellare possumus a similitudine alarum architectonicarum, vel potius *ēpelopara*, id est, obtinentia firmamenta, quibus latus aedis pertinens ad septentrionem et latus austrinum praefulciuntur atque praemuniuntur.

Exstant templi extremitates ultra octo pilas protec-tae in sphaerae quartam partem recedentes ex supera-

parte quiddam lunae curvatae in cornua simile p[re]se gerentes; exstant cellae, sive aulae inferiores quidem andronitides; superiores gynaecomitides exstant, infinita varietate marmorum praestantissimorum vestiti parletes et pilae, et tota concameratio tecta tessellis inauratis, et non modo moseaci operis ratione iam pervulgata, sed antiqua illa recondita amussi dimensis egregie in hunc diem eminentibus, nisi qua offensiones intercedunt, quas intulerunt imaginum oppugnatores.

Denique ut corpus et membra Sophiae aedis fere omnia exstant, sic nihil exemptile, nisi exiguum quiddam ex infinitate metallorum. Exstat templi pars pura olim et sacra, solis sacerdotibus attributa, sed nihil gemmarum hodie appetet, omnium nationum bellica direptione spoliata, non modo mensa illa, quam nemo imitari poterat, a Iustiniano refecta ex auro, argento omnique genere lignorum, gemmarum, quae producit mare et cunctus orbis, sed etiam donis aliis infinitis denudata, quibus reges Constantinopolitani et pontifices et principes eam ornarant atque etiam mulieres cum aliae permulta, tum Pulcheriam Arcadii filiam, Theodosii minoris sororem. Scribit Sozomenus ex auro et lapidibus pretiosis pulcherrimum et mirabile quoddam spectaculum mensam dedisse sacrae aedis Constantinopoleos. Neque dum vectigalibus, quibus erat immensis locupletata, privantur Maumetani sacerdotes, neque mille et centum tabernis sive officinis, quas vectigales et liberas possident, sitas in pulcherrimis foris Constantinopoleos.

Gaius LICOPPE et Francisca DERAEDT



FAMA FERT...

In praestanti Francogallico periodico c.n. "Madame (Jours de France)" (die 16 mensis Iulii 1990) Professor Petrus GRIMAL, qui modo in lucem edidit translati-onem Francogallicam Taciti operum, interrogatur a diurnaria Villeminula de Saïgné. Cuius colloquiu occassione data libenter legimus haec:

Villeminula de Saïgné - "Lingua Latina, ut ceterae linguae mortuae, non tam floret..."



Petrus Grimal - "Mortuae?!! Nos numquam vidisti, nos latinistas, Romae congregatos occasione consessus Academiae. Hic Academiae Romanae consessus


mense Aprili haberi solet, circa diem anniversarium Urbis conditae. Participes convenient undique Europae atque orationes fiunt Latine! Lingua Latina nobis est non solum lingua communis, sed etiam cultus civilis communis, i.e. cultus occidentalis qui nationalismis p[re]aeest."

Gaudemus quod palam Petrus Grimal Latinitatem vivam tam vehementer defendit et speramus fore ut eadem strenuitate curet ut in proximis Academiacae Romanae conventibus universis lingua Latina adhiberi perget.

SCHEMATA TEMPLI DIVAE SOPHIAE

Supplementum
periodici *Melissae*
n. 37





P quattuor pilae maiores
 p quattuor pilae minores
 A quattuor ingentes arcus
 A m arcus meridionalis
 A s arcus septentrionalis
 A occ arcus occidentalis
 A or arcus orientalis
 a1 (superior): aula in angulo intuenti
 septentrionem et orientem

1 baptisterium
 2 introitus hodiernus
 3 valvae regales
 4 cochleae quae ducunt ad primum tabulatum
 5 fulturae Byzantinae
 6 narthex sive porticus interior
 7 exonarthex sive porticus exterior

AB OBLIVIONE VINDICETUR...

FERDINANDUS BORSETTI FERRARIENSIS
POGGII FLORENTINI HERES



Ferrariae urbi Itiae amoenissimae eidemque felicium feracissimae ingenuorum post millennium illud tenebrarum numquam defuisse Latini sermonis eloquentiam probe sciunt qui in recentiorum litterarum studio versantur; parva siquidem terra ducibus Atestiis sive Estensibus magna aut tulit aut aluit Guarinos, Calcagninos, Giraldios, Riccios, Ferrinios, Phaletos, Lollios, Antonianos, alios multos omni laude dignos memoriaque. Quorum pars magna, dum in almo Ferrariensi gymnasio publice proficitur, efficit ut Latina lingua ad pristinum revocata nitorem Europae populos per auditores alienigenas paulatim occuparet. Plurima vero, quae inde a saeculo XVI ineunte aut in urbe Ferraria aut a Ferrarensibus Latine sunt conscripta, crassissimo temporis et obliionis pulvere sunt obducta, plura in lucem aut primum aut denuo edenda, multa suo in loco ponenda atque existimanda. Decem enim epistolarum Latinarum libros ineditos, quos Albertus Lolius (° 1508) reliquit, quis hoc saeculo lustravit oculis?¹ Quis, quas ille vir Tusci sermonis fautor orationes divulgavit, eas scrutatus est?² Quis eundem Lollium Palearii orationes Latinas tam sedulo evolvisse animadvertisit, Tusce ut eas exscripsisse potius quam imitatus esse iusto iure dicatur?³ Hieronymi Phaleti (° 1509), Herculis et Alfonsi II ducum Atestiorum qui erat orator, opera hac aetate numquis legit? At habuit ille inter intimos Nicolaum Grudium poetam, clarissimi Iani Secundi fratrem, et Nicolaum Stopium Belgam, medicum et poetam: quorum utriusque versus cum suis etiam emisit⁴. Phaletum apud Belgas versantem iurisque incumbentem studiis pugnae anno 1542 Lovanii pugnatae interfuisse quis credat? Intersuit tamen ipsi, atque eadem materiam sumpsit carminis heroici «De bello Sicambrico».

Floruerunt et alii ea in urbe poetae validi eique clari olim, nunc oblitterati⁵, velut Franciscus Bernardinus Bovius (+ ca. 1543), Tiresiacus, i.e. caecus vates, culus flebile hoc Sapphicon heic primum editum nonnullos delectabit.

De se ipso

*Cor tepet nobis cerebrumque torpet,
fluctuat taetris animus procellis,
nec potest caelum superasque mentes
cernere mersus.*

*O quies, o pax benedicta luxque,
quando me vobis dabitur potiri,
ante conspectum Dominique tandem*

quando videbor?

*Quando frigentes dabitur tenebras
corporis caeci miseramque sortem
linquere et puro solidoque sensu
sistere mentem?⁶*

Bovius vero tantam ivit in oblivionem, ut ne curriculum quidem vitae eius viris historiae Ferrariensis studiosis innotuerit⁷.

Deinceps minuto ducum Estensium imperio urbeque Ferraria sub finem saeculi XVI Cardinalis Legati in dicionem redacta, auctores Latinitatis aut ibi nati aut eo aliunde evocati antiquam linguam perrexerunt magno habere in honore. Non hic est locus ut disseram de Zappata, Graziano, Carrozzario poetis, vel de Ludovico Chrysostomo et Michaele Ferrucciis fratribus Luco (v. Lugo) ex oppido Ferrariae adiacente oriundis, quorum uterque ad ipsius Pascolii perfectam eloquentiae speciem proxime accessit (alter autem, Ludovicum (° 1797) dico, Bibliothecae Laurentianae Florentinae erat praepositus, alter (° 1801) Latinae linguae professor academicus in urbe Pisis)⁸, vel, ne cunctos, de Adolpho Artioli (° 1869), qui adulescens annorum XV versibus Latinis inclaruit⁹, dein circa annum 1905 Ferrarenses praceptor eruditivit. Paulisper enim repetamus velim saeculum illud duodecimum, quod si optimis poetis Ferrarensibus minus abundabat, prosae tamen orationis auctores Ferrariae gignebat optimos. E quibus uni alterive noti sunt Hieronymus Ferrius (+ 1786) et Matthias Aymerich (+ 1799). Ferrius enim amplius decennium operam praestitit studiorum universitati Ferrariensi idemque opere satis spizzo epistolicas per quaestiones respondit Alambertio encyclopaedistae (q.d.) Latinitatem in commercio inter viros doctos responsum¹⁰; accedit quod, cum unus Italum primum locum in sermone Latino adhibendo vindicasset¹¹, vetusta hac principatus Latini lite similitas ei cum nonnullis scriptoribus Latinis intercessit; in quis nominandus Didacus Abadius, poetarum Mexici Latini princeps idemque Societatis Iesu sodalis - nam suppressa Societate complures eius ordinis religiosi socii Ferrariam confluxerant¹². Eodem fere tempore Matthias Aymerich, mendaci nomine «Q. Moderati Censorini» usus, vivam esse contendebat linguam Latinam, «cum tot viri docti et eruditii, in Europae saltem et Americae regnis, ea uti possint, si velint, et frequentissime sermone, voce scriptoque ea utantur»¹³.

Eis ergo scriptoribus, qui posteriore s. XVIII parte Ferrariae floruere, adiciendus mihi videtur esse Fer-

dinandus Borsetti, ea in urbe Atestia anno 1682 natus, denatus ibidem anno 1764; qui, iuris studiis in patria perfectis, et urbi Ferrarensi et studiorum universitati erat a secretis¹⁴. Idem vir aliqua etiam nunc fama apud viros doctos claret ob Historiam almi Ferrariae gymnasii Latine exarata annoque 1735 typis commissam; qua, licet abhinc annos amplius CCL sit emissa, non tamen facile careas. Reliqua vero eiusdem viri opera magnam partem inedita praeter poemata aliqua Italica hacce aetate ne memorantur quidem, ut quae Latine composuerit ille. Mitto epistolam eius Latinas¹⁵, unas heic facetias ab oblivione vindicare volo. Constant eae numero C ineditaeque in publica Ferrarensium bibliotheca adservantur¹⁶. Quas ille proiectore aetate (anno nempe 1758) chartae tradidit ad Poggio Florentini¹⁷ imitationem hac ratione litteris consignavit, ut Poggii elegantiss, sermone, risu servatis, ad sui eas saeculi suorumque civium aures accommodaret, omni dempta lascivia, qua adulescentorum mentes possent offendere. Ex eis centum quattuor ergo selegi, quas ita edidi, ut inter punctioni et orthographiae obtemperarim hodiernis.

Praefatio (fragmentum)

(f. 2r) Lectori humanissimo Auctor.

Me hominem aetate gravem, manu tremulum, mente fatigatum binasque inter numerales falces¹⁸ constitutum Nugas venari et scribere minime decuisse forsitan dicturi sunt critici, sed potius vel nullum, vel convenienter proxime decessuro argumentum tractare debuisse. (...) Vetulus nugator itaque Nugas hasce centum tibi, lector, exhibeo easque Ferrarenses appellare lubuit, quia hac mea in patria atque eius dictione natae; in his vero exponendis, quamvis mihi modestae et nemini triuriae visae sint, eorum tamen, ad quos pertinent, nomina ut plurimum reticui, ne vel ipsi adhuc in vivis agentes, vel illorum propinquai moleste ferrent. Ceterum / (f. 2v) hoc, quidquid est, Latinis, nisi fallor, verbis, non tamen Latine scripsi, quod non tantum imbecillitati meae, sed necessitatibus quoque tribuas velim: mihi etenim utendum aliquando fuit vocabulis tum barbaricis atque exoletis, cum mere Italicis, ipsisque tuxta regionum diversitatem deformatis, ne facta dictave - ea praesertim, quae aequivocis irrituntur - enervarem. Mihi post Latinissimum ac doctissimum Poggium Florentinum scripsisse maxime obfuturum scio. At vitro tanto cedere cur erubescam? Huic in omnibus, et praecipue in hoc scribendi genere, primas deferō, nisi forte quispiam me eidem preferendum censeat, quod, ubi is puriori lingua suas, more ego puriori¹⁹ Nugas meas exaraverim. (...)

Nuga V

(f. 6r) Indignabatur pauper quidam quod domunculae eius fores a transeuntibus per viam lotto foedissime contaminarentur; ideoque post eas frequenter latens tacitus exspectabat, si ex delinquentibus quemplam in actu flagitiū deprehendere posset, ut eum male mulcaret ac eiusdem exemplo ceteros ab huiusmodi factiore removeret. Hoc obtigit infortunium excellentissimo N.N., advoco patriae meae celeberrimo, summae prudentiae, modestiae et integritatis vitro. Cum etenim die quadam illac solus permearet ac vestcae redundantia premeretur, ad fores accedens, quas urytarum imbre iam inquinatas cernebat, in eas mingere occepit.

Tunc illis repentinio impetu reseratis, ex insidiis erupit paup. (f. 6v) per nullaque tanti hominis ratione habita, noxiam partem dextera mordicus arripuit cultroque, quo laevam instructus prodierat, amputare minabatur. Contra vero confusus doctor ac tremens turabat, non animo triuriam aut damnum aliquod triferendi (causa)²⁰, sed necessitate compulsum se illius soribus molestum fuisse; nihilominus, si quod in eo peccatum, facti se maxime paenitere declarabat supplexque deprecabatur ut sibi liberum captivum suum dimittere dignaretur; pro cutus redēptione, quaterus opus foret, paciscendam²¹ pecūiarum sumnam se illico soluturum spondebat. Res eo devenerat, cum supervenit summae auctoritatis eques, qui causa cognita ac homuncione acerrime increpato, quod in vitrum omni virtutum genere ornatisimum temerarias manus incere ausus fuisset, illum pudibundo suffusum rubore honorifice ad domum usque deduxit.

Nuga XI

(f. 9v) Dioecesis nostrae parochum, vitrum ceteroquin probum, quod vitro inmoderate indulgeret instrulatum ad se acciverat D. Cardinalis Thomas Rufo²² archiepiscopus supra memoratus eumque his verbis graviter increpabat: «Non te animalium curam gerentem pudet, magno plebis tuae scandalum, dies bibendo consumere? Qua fronte, qua proficiendi spe sobrietatem dictis commendare poteris, dum factis te prodis intemperantem? Cave ne in posterum in hoc vitium incidas, nisi velis me, benignum nunc monitorem²³, severum iudicem experiri! Demisso capite de- (f. 10r) fixisque in terram oculis audiebat haec parochus; quibus, impetrata prius loquendi venia, ita respondit: «Fateor, princeps eminentissime, me haud parce bibere, nec delatores tibi veritatem exposuisse nego, sed hanc eos dimidiata dūntaxat in mel perniciem protulisse doleo; cum enim me quotidie inmodice potare tibi renuntiariunt, me quoque inextinguibili quotidiana siti cruciari referre debuissent; quem adversus morbum unicum vini medicamen mihi prodesse exerior.» Improvisa huiusmodi excusatione Cardinalis, quamvis natura gravis, se satis cohibere requirat quin rideret; idcirco, ne placato hilarique aspectu parocco ulterius delinquenti confidentiam inspirare crederetur, avertens se ac in proximum cubiculum intrans eidem abeundi spatium reliquit.

Nuga LXIII

(f. 47r) Die cinerum cive patre familias, uxore ac filiis ad prandium adsidentibus primo tusculum ex fractis ciceribus allatum, quod adeo placuit, ut mulieris, quam recenter ob coquinae servitum conduxerant, cuncti in laudes abierint; pater familias praesertim, ut noviciae animos adderet, eam ad se accitam coram commensalibus²⁴ maxime / (f. 47v) commendavit et qua arte pulmentum ita sapidum parasset est sciscitatus, numquam meltus se comedisse turans: «Credo mecastor, respondit femina, ciceres enim coxi in optimo capture, quod hesterna die hunc in usum servavi.» Tunc laudibus in exsecrationem versis fatua protinus a domo electa.

Nuga IC

(f. 71r) Dum Germani milites ex his, qui currenti saeculo Ferrarensi solum invaserunt, rustici domuncularum

ingressi, suilla salsa menta viginti circiter a pertica dependentia viderunt: quae ut inde avellerent et secum auferrent, ex eis unus super scannum ascenderat, cum anicula plorans eiulansque inquit: «Ne faciatis, nam Gabrielis sunt» (hoc eiusdem vetulae filii nomen erat). Tunc milites mirabundi, alter alterum intuentes, dixerunt: «Capriel? Capriel?» - et re infecta discesserunt, putantes salsa menta ex astinina carne fuisse confecta; nam capriel, non proprio tamen vocabulo, apud Germanos quosdam astrum significat²⁵. Et sic multe innocentie equivoco cibum filio carissimum intactum servavit.

Adnotatiunculae

1. Adservantur in biblioteca Ferrarensi, cod. I, 145

A. Undecim ex eis edidit P. Magri, «Undici lettere inedite di Alberto Lollo: Appunti per una storia delle idee pedagogiche nella Ferrara del Cinquecento», Pubblicazioni della facoltà di Magistero dell' Università di Ferrara, 1 (Ferrariae, 1974), pp. 141-168.

2. Unam edidit D. Gibert, «L'orazione "Della eccellenza e dignità della lingua toscana" di Alberto Lollo (1508-1569). Edizione critica», Aevum, 63 (1989), pp. 501-530. At haec editio vix palmaris est dicenda.

3. Lollius Tusce imitatus est Palearii orationem Latinam "De concordia" (cf. T. Sacré, «Alberto Lollo imitateur d'Aonio Paleario» (sub prelo)).

4. Cf. H. Phaletus, De bello Sicambrico... (Venetiis, 1557). De Phaleto alias fusius sum tractaturus.

5. Cf. S. Pasquazi, Poeti Estensi del Rinascimento con due appendici. Introduzione e testi (Florentiae, 1966²).

6. Biblioth. Ferrar., cod. I 434, p. II, f. 70^r. Cf. G. Antonelli, Indice dei manoscritti della civica biblioteca di Ferrara. Parte prima (Ferrariae, 1884), pp. 206-209.

7. Cf. G.M. Mazzucchelli, Gli scrittori d'Italia... II, 3 (Brixiae, 1762), pp. 1922-1923 (Mazzucchellius autem de operibus Bortianis certior factus est per litteras Ferdinandi Borsetti, de quo hic est agendum); G. Ballistreri, «Bovio, Francesco Bernardino», Dizionario biografico degli Italiani, 13 (Romae, 1971), p. 550.

8. Cf. O. Pasqualetti, «Poeti neolatini di Ferrara e vicinanze» (oratio annos abhinc duos Ferrariae habita ibidemque excudenda). Plura Ferrucciorum carmina inedita Luci adserantur.

9. Cf. A. De Gubernatis, Dictionnaire international des écrivains du monde latin (Romae, Florentiae, 1905), p. 45.

10. Cf. I. Parisella, «Hieronymus Ferrius incorruptae Latinitatis vindex», Latinitas, 5(1957), pp. 210-223. Opus eius magnum inscribitur «Pro linguae Latinae usu Epistolae adversus Alambertium. Praecedit

commentarius de rebus gestis et scriptis Hadriani Cast. cardinalis...» (Faventiae, 1771). Vidi exemplar Vaticanum (sc: Card. II. XV. Castellesi 1).

11. «Oratio habita pridie Nonas Novembres anni MDCCCLXXIII»: cf. A. Antonioni, «Serie delle Prolusioni dell' Università di Ferrara», Università e Cultura a Ferrara e Bologna (Pubblicazioni dell' Università di Ferrara, 1) (Florentiae, 1989), pp. 217-285 (pp. 270-271).

12. Cf. Jacobi Josephi Labbè Selenopolitani [= Didacus Abadius], Dissertatio ludicro-seria Num possit aliquis extra Italiam natus bene Latine scribere, contra quam ROBERTUS pronuntiat? (s.l., 1778); quo de opusculo agetur in Humanisticis Lovaniensibus anni 1991.

13. Q. Moderati Censorini De vita, et morte Latinae linguae paradoxa philologica criticis nonnullis dissertationibus exposita, asserta, et probata... (Ferrariae, [post 8 Oct.] 1780). Usus sum exemplari Vaticano (Ferra. IV 3667). Sententia a me laudata legitur p. 83.

14. Cf. G.M. Mazzucchelli, o.c. (adn. 7), pp. 1809-1811; C. De Michelis, «Borsetti, Ferrante», Dizionario biografico degli Italiani, 13 (Romae, 1971), pp. 119-120; M.E. Cosenza, Biographical and Bibliographical Dictionary of the Italian Humanists... 1: A-Cas (Bostoniae, 1962), p. 681.

15. Cf. G. Antonelli, o.c. (adn. 6), pp. 142-143.

16. Cod. I 193 (cf. G. Antonelli, o.c. (adn. 6), p. 113). Codex manu aliena exaratus.

17. Cf. Poggio Bracciolini, Facezie con un saggio di E. Garin. Introduzione, traduzione e note di M. Ciccuto... (I Classici della Biblioteca Universale Rizzoli) (Mediolani, 1983). Poggii Facetiae anno 1470 primum sunt editae.

18. Quod annum agebat 76^{um}? An "falcis" mediaevalis mensurae significatio inditur? An murales loco numerale legendum?

19. Cf. e.g. Poggii facet. XLIII, LXII, CL, CLXX.

20. (causa): dubius addidi.

21. paciscendam correx: pasciscendam codex.

22. Thomas Russello, card. creatus a° 1698, + 16 II 1753: cf. R. Ritzler et P. Sefrin (edd.), Hierarchia catholica Medii et Recentioris Aevi... 5: 1667-1730 (Patavii, 1952), pp. 201 et 286.

23. monitorem correx: monitorum codex.

24. Animadverte vocem mediaevalis (= "convivam").

25. Quae sit illa vox ignoro. Certiore utinam me unus e lectoribus Theodiscis faciat!



DE SEDITIONE A POPULO IN GERMANIA ORIENTALI FACTA

I

Anno 1945 bellum atrocissimum finitum erat, quo non solum Europae, sed totius mundi homines inter se pugnaverant. Et in Germania victores invasione facta populum ab illis liberaverant, qui socialistae nationales nominabantur. Quae liberatio per multas methodos facta est: una erat occupatio quattuor Germaniae regionum. Americani enim Bavariam et alias partes occupaverant, Britanni regiones Rheni et Vestphaliae, Russi regiones Saxonum et alias, Galli postea regionem occidentalem, erant igitur orientales Germaniae partes occupatae a militibus Sovieticis.

II

Statim atque confestim illi id egerant, ut nova in illa regione institueretur res publica. Et paulatim proprietate privata destructa proprietates publicae effectae erant, agricolae vero ut alios ararent agros cogebantur. Anno vero 1949 nova proclamata est res publica nomine Democraticae Rei Publicae Germanorum usa. Nec dubitari potest, quin fuerint quinque partes politicae, sed non ignoramus apud unam solum fuisse imperium vel regimen absolutum, partem unitam socialisticam dico (quae unita erat e socialistis democraticis et e communistis, quae unio vi et coercitione facta erat). Quae pars usque ad annum 1989 regebat in illa regione moderantibus imprimis Valterio Ulbricht et Erico Honecker.

III

A primis temporibus •perestroikae• quam Michael Gorbačev instituerat novam politicarum rerum viam vel methodum Germani Orientales ne iam supprimarentur recusabant. In multis igitur urbibus demonstrationes factae sunt, Lipsiae Berolini et alibi, et agentes et vigilis et partis communistarum cooperatores quid faciendum sibi esset nesciebant. Die vero nona mensis Novembris anni 1989 murus ille abominabilis superatus est, quem communistae per mediam Berolinum urbem anno 1961 fieri iusserant. Quod vero maximi momenti est et eiusve rei multi per mundum totum mentionem fecerunt: Germani non pugnabant, non proeliabantur, non telis usi sunt, sed hilariter murum superabant ridebant locabantur vino et cervesia et aliis potibus diem festum agebant. Quo e facto omnes certe vident non factam esse revolutionem, sed seditionem: ut iam superiore articulo dixeram, seditio id agit, ut res publica perversa in pristinum iuris statum reddatur. Quod vere factum est illa

die mensis Novembris, et communistae ne iterum regerent a regimine proiecti sunt.

IV

Nunc vero difficultates eminebant maxime, res publica enim quae regimine caret in anarchiam incumbere videtur, id quod pessimi est exempli. Ergo cives Germaniae orientales id agebant, ut nova institueretur civitas, et mense Martio anni 1990 primae factae sunt electiones liberae: eligebantur novi moderatores, qui coalitionem e democraticis christianis et democraticis socialistis confecerunt.

V

Lege quam vocant fundamentali Germaniae Occidentalis sanctum est, ut unio patriae quam celerrime et quam optime fiat. Qua e lege, sed multis et aliis de causis, Helmutius Kohl et ministri et parlamentarii Germaniae Occidentalis id agebant, ut unio fieret. Qua de causa multa facta sunt et difficilia colloquia inter moderatores Orientalis et Occidentalis Germaniae, quibus colloquitis effectum est, ut «Pactum Rei Publicae» (Germanice: «Staatsvertrag») institueretur, quod pactum ab verbum omnibus est notum parlamentariis, sed et civibus duarum Germaniae partium, qui in actis diurnis textum illius pacti legere et discutere poterant. Sic factum est, ut post multas difficultates superatas pactum illud a parlamentis et Berolini et Bonnae die 21 mensis Iunii anni 1990 approbaretur: erit igitur ineunte mense Iulio unio in rebus pecuniae oeconomiae aliarum rerum.

Certo scimus hoc pacto difficultates omnes non esse superatas, sed speramus et unionem politicam fore huius Germaniae, quae cancellario Bismarck moderante incohata erat. Ut bene intellegar abs te, carissime lector: non loquor de magnitudine Germaniae illorum Bismarckii temporum, non loquor de finibus illius imperii, non loquor de finibus Germaniae cui Adolfus Hitler praeverat! Loquor de Germaniae finibus, qui finito bello illo atrocissimo extiterant: inter hos fines fiat unio Germaniae! Et sic optime factum est, ut eadem die 21 mensis Iunii anni 1990 a parlamentis declaratum esset Poloniae fines occidentales numquam mutatum iri! Quae declaratio optima facta est et ex ea multa evasura bona speramus et Polonis et Germanis et aliis populis mundi.

ROMA AN HERCULANEUM ?

Haud dubie nemo est, inter eos qui viserint Romanum, qui non transierit admirabundus per viam Fororum Imperialium, viam nempe illam quae, initium sumens ab amphitheatro Flavio, dicit viatorem usque ad plateam Venetis dicatam, quam cingunt ingens et excelsum et candidum marmoribus monumentum regi Victorio Emmanuel II dicatum, et Palatium «Venetiae», e cuius podio innumerabilem turbam, in platea stipatam, pluries allocutus est Mussolini. Est via amplissima quae peregrinatoribus non modo mirum offert spectaculum fori Romani ad laevam atque ad dextram ruinarum fori Traiani, sed permittit quoque facilem fluxum innumeris autorae-dis, sive publicis sive privatis, quae per cunctas horas diei eam sine intermissione percurrunt.

At, pro dolor, haec splendida et utilissima via quadam labe originali laborat: exstructa est enim anno 1930, ergo in aetate fascismi: ideo non pauci, et administratores et archaeologi, iamdiu proponunt ut deleatur totaque effossetur, ut possint ad lucem redire monumenta et structurae quas ipsa in suis tegit visceribus, ita ut queat exstrui ingens regio archaeologica quae usque ad viam Appiam antiquam contendat.

Non desunt autem obstantes, qui strenue eiusmodi propositum refellere conentur, animadvertentes tam ingens opus non modo perfici non posse nisi compluribus annis, non modo inextricabiles nodos et angustias effecturum esse in regime viario eius regonis, sed etiam voraturum esse milia innumera miliariorum, quae multo melius impendi possint ad gravissimas difficultates atque discrimina solvenda quae urbem Romanam premunt et vexant.

Ego vero, eis quibus cordi est inquirere quaenam antiquitatis vestigia sub via Fororum et sub eius proxima regione iaceant occulta, novam solutionem ausim proponere.

Potius quam amplissimae et nobilissimae viae decernatur destructio, nonne multum praestet aliam effossonem decernere, quae sine dubio oblatura sit non modo miros thesauros artis antiquae sed et cumulum ingentem repertorum et structurarum, quae mirifice nostram cognitionem de rationibus vitae et de moribus antiquorum Romanorum ampliorem reddant?

Loquor de urbe Herculaneo. Die enim illo terrifico, quo mons Vesuvius, post tot saecula quietis improviso expergesfactus, dispergere coepit super proximam urbem Herculaneum pluviam lapillorum cinerisque et ingentissimum flumen vomere lutulentum et ardenter, civibus consipientibus id celeriter urbi appropinquans, unicum fuit propositum, quam celerime salutem petere quoquo versus fugientibus.

Formidolosus torrens, diruptis et quassatis moeinibus quae urbem cingebant, per omnes vias se properanter extendit, omnia submersens et in omnes penetrans vacuitates. Cum tandem, die sequenti, implacatus furor Vesuvii quievit, infelix urbs sub immanni sedimine circiter quindecim metrorum fere intacta iacebat. Quod sedimen, lente solidatum et

saxeum factum, per saecula integrum urbem coercuit. Immo, super solidissimam crustam, coepiae sunt, labentibus annis, exstrui domus, ac sensim, super alteram, nova se extulit urbs, penitus ignara se subter, in visceribus terrae, existere antiquissimam urbem Herculaneum, quam Vesuvius uno die invaserat et occuluerat.

Alia fuit sors urbis Pompeiorum. Cum ipsa multo plus a vulcano distaret, eius incolae utique territi immani auditio tonitru et inspecta ingentissima fumi densissima columna, quam assidue rubentia lacabant fulgura, percussi pluvia lapillorum et cineris, putantes vero eruptionis furorem satis cito esse tandem desitum, amiserunt permulti tempus pretiosum, ac potius quam citissime fugerent, proprios colligendos thesauros curaverunt ac denique fugam incohaverunt cum sero iam esset, atque icti saxis vel cinere obrutivel, inclusi domibus, beneficis vaporibus suffocati, periere dum inutilem quaerunt fugam vel effugium.

Praetermitto historiam effossonum sive Herculanei (quae irita est anno 1735) sive Pompeiorum (quae est incohata anno 1748) et venio ad tempora nostra.

Resurrectio Pompeiorum est fere ad finem adducta, nam eius effossio, etsi interdum interrupta, per duo saecula usque ad hodiernam aetatem perrexit; contra, effossio Herculanei, saepe intermissa, parvos exitus assecuta est, sive quia est multo magis ardua, sive quia, ut paulo antea dictum est, super ingentissimam molem qua Vesuvius eam cooperuit, saeculis labentibus, cum iam memoria urbis sepultae evanuisse, alia urbs gradatim exstructa est, quam hodie habitant circiter triginta milia incolarum et cui est nomen Resina.

Ut ergo Herculanei resurrectio apte effici possit, ante omnia condere oportebit in vicinia aliam urbem, quae se habitantibus Resinae offerat incolendam, opus ingens et plenum aleae, at necessarium.

Cogitari vero potest alia quoque via: mirificae technologiae hodiernae auxilio effici potest ut torrens luculentus, qui totam urbem invasit eamque, duratus et siliceus factus, nunc captivam complectitur, apte frangatur et removeatur, sine ullo damno urbis Resinae supra surgentis, ita ut sensim Hernulaneum ad antiquum statum redire possit cum suis dominibus, templis, foris, viis atque plateis, ideoque liceat peregrinatoribus urbem restitutam et silentem, ope ingentium lampadum reverberantium, integrum contueri. Sit revera res animi commotione et fascinatione plena per mutas errare vias et in tacitas penetrare domos Herculanei, cogitantes non plus quam aliquot metra desuper, sub ardenti lumine solis variam et tranquillam incolarum Resinae vitam servere.

Nullum dubium est quin effossio Herculanei, utcumque perficiatur, innumeratas novas cognitiones sit praebitura de vita et moribus illius aetatis, praeter nescio quot et quantos thesauros artis, et sit fortasse restitutura nostrae notitiae et admirationi opera auctorum Romanorum et Graecorum hucusque igno-

DE IDEA EUROPAEA IN LITTERIS ANTIQUIS ET IN VITA POLITICA POSTERIORIS TEMPORIS



Sine dubio his temporibus saepe vidimus multos viros politicos et negotiatores ideam Europaeam et Communatem Europaeam tam vehementer defendere, ut appareret eos ideam ipsam nuperrime inventisse, cum paucis annis ante semper disputarent fortunam oeconomiam populorum Europae praecipue in relationibus transatlanticis provehendis haerere.

Contra hanc opinionem viris doctis iam pridem apparuit ideam Europaeam iam temporibus mediis aevi maxime viguisse, cum iuvenes etiam ex his terris hyperboreis orti in urbibus mediae et meridianae Europae convenienter, ut in universitatibus celebrissimis theologiam, philosophiam, eloquentiam aliasque artes liberales disserent atque exercerent.

Sed nobis satis non est ideam Europaeam tum demum, id est temporibus mediis aevi, inventam esse, sed plurimum interest, quomodo antiqui ipsi de hac re cogitaverint. Hoc proposito ad nostram utilitatem cum Latinis Graeca coniunxi et quaedam opera studiose legi, in quibus multa inveni et utilia de Europa et de idea Europaea disputata.

*
* *

Fabula omnibus nota est de virginе Europa, filia Agenoris, regis Tyri, quam Iuppiter Cretagenes vocatus, figura specieque pulcherrimi tauri accepta (qualem postea etiam regina Pasiphae amabat) ex litore Phoenices rapuit et in Cretam transvexit, ubi illa duos



filios, Minoa et Rhadamanthum, peperit. His postea tertius filius, Sarpedon, adjunctus est. Qui deinde a rege Asterio educati insulam inter se dividerunt et tam

iuste regnabant, ut etiam apud inferos iudices fierent.

Sed re vera, quid significat haec fabula? Bene enim scimus fabulis Graecis mythologicis semper aliquid veri subesse. Constat Iovem Cretagenem ab Iove Olympio maxime differre: erat enim potius exemplum religionis mediterraneae antiquissimae quam novae, puer divinus, qui quotannis natura marcescente moriebatur et fertiliore tempore iterum nascebatur. Taurus quidem symbolum erat eius dei supremi religionis Minoicae, cuius proprium erat tauros variis saltationibus iuvenum venerari.

Mea igitur sententia fabula docet Iovem Cretagenem ex Oriente in Europam novos mores cultusque transtulisse - mores, qui fortasse praecipue ad rem publicam administrandam spectabant. Sarpedon duobus fratribus postea adjunctus fortasse significat etiam Lyciam, id est Anatoliam meridionalem, societatem in civitate Cretensi formanda habuisse.

Ut conceptus geographicus Europa primum apparet (Deli?) octavo vel potius septimo a.C.n. saeculo in hymno (251) ad Apollinem Homericu, in oraculo dei ipsius, quo Apollo nuntiat sibi hecatombas ab incolis Peloponnesi, ab incolis insularum maris Aegaei aut ab incolis Europae factas pariter placere. Communitati Europaeae optimum oraculum mihi videtur fuisse!

Manifesto «Europa» hic Graeciae partem continentem et septentrionalem significat, quae a ceteris regionibus separata tamen communitate Graeca his temporibus surgente comprehendebatur.

Pindarus poeta in carmine quarto Nemaeo (l. 69-70) auditores suos monet, ne ultra Gadeiram (i.e. Cadiz in Hispania) ad Oceanum versus navigent sed naves suas rursus gubernent et litus continentis Europae petant. Hic «Europa» terram continentem notam et securam significat, ignoto Oceano terribili contrarium.

Aeschylus tragicus in Prometheus liberato (fr. 191) ait Prometheum in eis regionibus saxo vincutum iacere, in quibus Phasis et Tanais flumina Europam ab Asia separent.

Eodem modo in litteris Latinis antiquioribus Europa saepe Asiae collata apparet, ut facile intellegi possit ambo nomina primum ad regiones proximas, id est ad Asiam minorem et ad proximam partem continentis Europaeae - et multo post ad totas continentes pertinuisse.

Quomodo autem evenerit hic progressus Ideae Europaeae, facile intellegi potest ex quibusdam passibus litterarum et inscriptionum Latinarum. In oratione de provinciis consularibus (c. 32-33) Cicero docuit ante Iulium Caesarem imperatores Romanos numquam ipsos ad Gallorum urbes sedesque penetravisse - illas nationes refutandas potius bello quam lacessendas esse putantes. Caesarem autem cum

acerrimis nationibus Germanorum et Helvetiorum proeliis felicissime decertavisse, ceteras conteruisse, compulisse, domuisse, imperio populi Romani parere adsuefuisse et quas regiones quasque gentes nullae Romanis antea litterae, nulla vox, nulla fama notas fecissent, has Caesarem eiusque exercitum et populi Romani famam peragravisse. Hoc modo Galliam, cuius semitam tantum Romani antea tenerent, notiorum factam esse.

Quinquaginta circiter annis post Caesar Augustus in rebus gestis (c. 26) veritatem leviter egressus scripsit se omnium provinciarum populi Romani, quibus finitiae fuissent gentes quae non parerent imperio Romano, fines auxisse. Gallias et Hispanias provincias, item Germaniam a Gadibus ad ostium Albis fluminis pacavisse. Id est totam Communilitatem Europaeam hodiernam! Classem suam per Oceanum ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad fines Cimbrorum navigavisse, quo neque terra neque mari quisquam Romanus ante id tempus adisset, Cimbros et eiusdem tractus alios Germanorum populos per legatos amicitiam suam et populi Romani petivisse.

Etiam hodie legatos mittere solemus ad eadem officia perficienda! Paulo post tamen Tacitus, qui non credidit Germaniam tam facile pacari, hoc modo

disseruit (*Germania*, c. 2): «Quis porro, praeter periculum horridi et ignoti maris, Asia aut Africa aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuque nisi si patria sit? Etiam hodie multi meridionales de nostris terris viendis hoc modo cogitant!

Quarto post Christum natum saeculo, cum provinciae quaedam iam ipsi Italiae antecederent, cum plurimi senatores se Roma in provincias in otium sapientis contulissent, cum ecclesia iam plus valeret quam respublica, etiam Galli Hispanique lingua Latina loqui dicerunt, non iam ab imperatoribus Romanis eorumque exercitibus sed ab episcopo, senatore patrono eorumque publicanis. Quorum adventus saepe tam memorabilis erat, ut echo eius etiam postea in hymno «Dies irae» sonaret - haec est opinio Petri Brown, viri docti culturae mediaevalis periti.

Vitae humanae huius temporis instar Iulianus Augustus erat, postea saepe Apostata vocatus, qui suo tempore autem «civilis in cunctos» vocatus erat et, dicam ut sentio, primus verus civis Europaeus.

Paucis annis post, initio quinti saeculi, exercitus Romanus ad eas regiones defendendas instructus erat, ex quibus hodie Communitas Europaea constat.

Prof. Paavo CASTREN Helsinkiensis

sequitur p. 12

ta vel deperdita. In quadam enim villa (inter paucas quae effossae sunt) detecta est, saeculo elapso, bibliotheca philosophica non magni momenti; nonne fieri potest ut reperiatur aliqua alia bibliotheca quae nobis integros Ennium, Naevium Lucilium, Varronem, Liliuum, Plinium seniorem, Tacitum... restituat et augeat patrimonium auctorum Graecorum?

Inceptum huius generis pertinet et spectat revera non modo ad nos Italos, sed ad omnes populos civiles, ergo rationabile esse videtur cunctis nationibus civilibus hoc honorificum munus sibi esse sumendum, cogitantibus quale et quantum incrementum doctrinae antiquitatis haec resurrectio Herculanei sit oblatura omnibus viris doctis totius orbis terrarum.

Cur ergo non fundetur comitatus quidam qui sibi sumat munus attrahendi ad hoc splendidum propositum et rectores nationum et instituta quae cultura dicuntur et maximas societas industriales et ditissimas argentarias? Nonne et Iapones et Russi et domini petrolei et ipsi Americani facile allicientur ad opus quod gloriam et admirationem erga magnanimos sponsores excitabit?

Mirum est quod quiddam simile iam cogitatum est in eunte saeculo vicesimo. Dum iam illis annis incipit diffundi opinio cooperationis inter omnes nationes ad integre duas illas urbes restituendas, utpote occulta et ditissima scrinia antiquitatis, archaeologus Britanus, doctor Carolus Waldstein, rerum agendarum rationem exaravit quod, initio, effossonem totius urbis Herculanei decernebat, ad quam perficiendam statuerat advocandos archaeologos et peritos inter maximos totius Europae, et implicandos, ad necessarias summas erogandas, cunctos liberales fautores artium scientiarumque totius mundi. Quae ratio cito

magnam et servidam approbationem Italicarum auctoritatum est assecuta, ideo ille in Americam Septentrionalem statuit se conferre ut, ante omnia, consensum et participationem sollicitaret ditissimorum inter rectores quaestuosae industriae illius regionis.

At cum innotuisset munus praesidentis constitutae societatis Herculaneo detegendo ipsi praesidenti Theodoro Roosevelt (1901-1908) eum offerre velle, tum Roma confestim publice declaravit se Anglii archaeologi proposito non iam favere: nonne enim honorem et onus moderatoris illius societatis sponte et iure ad regem Italiae pertinere? Atque ita, quaestio nonnisi ad formam pertinens efficit ut propositum sagax et miros fructus laturum interrumperetur et neglegeretur.

Procul dubio, hodie eiusmodi cavillationes de primatu minime ad tale egregium opus prolatandum vel compescendum valerent; sit sane caput societatis Herculaneo effodiendo vel imperator Iaponiae vel praesidens Foederatarum Civitatum Americae vel ipsa Communitas Oeconomica Europaea, dummodo urbs infelicissima quae furenti impetu Vesuvii demessa est per saecula in profundis visceribus terrae, iterum resurgat ad luminis oras et se integrum patefaciat et offerat ad nostram imam pietatem et ad nostrum admirantem conspectum. Eia ergo, vos omnes quibus cogitatum arridet effodiendi et de medio tollendi viam Fororum Imperialium, vertite mentes vestras ad aliud inceptum quod innumeros thesauros et innumerias notitias est patefacturum eis omnibus qui artem et scientiam diligunt et colunt. Maneat intacta via illa nobilissima et iterum redeat inter nos, detecta et restituta in sua tacita pulchritudine, urbs Herculaneum!

Vido ANGELINO



EX ORBE LATINO

LECTORES AD NOS SCRIBUNT

PvdA-statenlid stoot zich aan Latijnse spreuk

Van onze Haagse redactie
DEN HAAG, donderdag

Niemand begrijpt de Latijnse wapenspreuk *Vigilate Deo Confidentes* van de provincie Zuid-Holland en benvinden is de verwijzing naar God in die spreuk uit de tijd. Dat vindt A. de Jong die voor de PvdA in de Provinciale Staten van Zuid-Holland zit.

Het statenlid stelt in schriftelijke vragen aan het dagelijks bestuur nu de zin *Waakzaam en dienstbaar* voor, in plaats van de huidige Latijnse spreuk die 'wees waakzaam vertrouwende op God' betekent. De Jong heeft gemerkt dat vrijwel niemand meer het Latijn beheert, zodat niemand meer weet wat er bij het wapen van de provincie geschreven staat.

De Telegraaf, 14/06/90

UNUS E PROVINCIALIBUS RECTORIBUS, IDEMQUE SODALIS FACTIONIS C.N. PVD A (SUNT PARTES QUAEDAM SOCIALISTICAE) DE SENTENTIA QUADAM LATINA RECUSAT.

Hagae Comitis, Iovis die. Nemo intellegit sententiam provinciae Hollandiae Meridionalis, quae est «Vigilate Deo Confidentes»; insuper non iam est necessarium ut de Deo loquamur. Haec quidem asseverat A. de Jong, qui pro partibus PvdA nuncupatis sedet in Hollandiae Meridionalis regimine provinciali. Qui ab administratoribus officialiter petit ut sententia Nederlandica, «Waakzaam en dienstbaar» (id est «diligens et officiosus»), substituatur in locum sententiae Latinae; animadvertisit enim vix quemquam Latine adhuc intellegere, ita ut nemo iam sciat quid scriptum sit sub insignibus provinciae.

Amicus Nederlandus, **Vilhelmus van BEST**, hanc symbolam ex actis diurnis q.t. "De telegraaf" excerptis; quam nostris lectoribus risui fore merito putavit. Risui...? Talibus scriptis ostenditur mens novorum barbarorum, qui regiones nostras in dies invadunt, quorum sententia videtur esse "hic et nunc": nam radices suas, historiam suam neque neverunt neque curant.

*
* * *

Iohannes GRANATA et Latinitatem et poesin et familiam suam pulchre curat. Ad nos misit poema, quod filius eius Flavius Francogallice scripsit et ipse in Latinum vertit. Hanc Latinam translationem vobis hic proponimus:

Si essem avis alta aura gyrum orbis facere possem,
Missile ignitum si essem lunam visere possem,
Papilio si essem peralte per volitarem
Leveque si aeroplanum ibi essem en orbis pueros omnes auferrem.
Si essem rubra cicada die tota modularer,
Ramus rama sciturus si essem summa salirem,
Ventus si essem caelo magno fortiter flarem,
Si essem candida nix mundum totum facerem album,
Sol si essem flavus splendorum valide alte,
Nil essem si ad ludum promptus calculus essem.




LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

10 - 17 m. Augusti anno 1990, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant.

Invitantur magistri, alumni, discipuli, omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/735 04 08

22 - 28 m. Iulii (nec Augusti, ut falso nuntiaveraimus) anno 1990, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH
Aeschistrasse, 6
CH-3110 Münsingen
Tel. 031/920823

IN DOMO LATINA BRUXELLENSI

(64 bte 74 Avenue Albert-Elisabeth, 1200

Bruxelles)

lingua Latina docetur vivo modo: institutio fit omni Mercurii die.

Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.

FERIAE LATINAЕ

18-25 m. Augusti anno 1990, Nicaeae habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. De Feriis Latinis participandis interrogandus est:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

30 m. Iulii - 3 m. Augusti anno 1990

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Geschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.

SEPTIMANA LATINA : LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

12 - 18 m. Augusti anno 1990, Amoeneburgi. Moderatores invitant ad sermonem Latinum in vita cottidiana exercendum. Etiam res coquinariae Romanae colentur; participes apportent etiam instrumenta musica et photomachinas. De hac septimana interrogandus est:

Robertus Maier
Dresdener Strasse, 10
D-6070 Langen
Tel. 06103-71652